



# Bodleian Libraries

UNIVERSITY OF OXFORD

This book is part of the collection held by the Bodleian Libraries and scanned by Google, Inc. for the Google Books Library Project.

For more information see:

<http://www.bodleian.ox.ac.uk/dbooks>



This work is licensed under a Creative Commons Attribution-NonCommercial-ShareAlike 2.0 UK: England & Wales (CC BY-NC-SA 2.0) licence.

DISSERTATIO  
INAUGURALIS,  
DE  
ANASARCA,  
QUAM,  
ANNUENTE SUMMO NUMINE,  
Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,  
GULIELMI ROBERTSON, SS.T.P.  
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON  
Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,  
Et nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ decreto;  
PRO GRADU DOCTORIS,  
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS  
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;  
Eruditorum examini subjicit

HENRICUS HART,  
Ex Insula SANCTI CHRISTOPHORI.

Chirurgo-Med. Soc. Hon. et Soc. Med. Edin. Sod.

Ad diem 12. Junii, hora locoque solitis.

*Crescit indulgens sibi dirus hydrops.*

EDINBURGI:  
Apud BALFOUR et SMELLIE,  
Academiae Typographos.

---

M, DCC, LXXIII.



Viro celeberrimo

ALEXANDRO WOOD,  
CHIRURGO EDINENSI,

Plurimum singulari artis propriae peritia,  
Caeterum non minus humanitate, benevolentia,  
Aliisque virtutibus, nobilitato,  
Ob curam quam olim in se,  
Multis ad chirurgiam, &c. spectantibus,  
Imbuendo posuerit,  
Et ob multa alia beneficia in sese collata ;

Nec non

Fratri suo carissimo

GULIELMO HART,  
ARMIGERO,


Ex insula Sancti Christophori,

Pietatis ergo ;

Hancce dissertatiunculam,  
Monumentum animi haud ingrati parvulum,

D. D. C. Q.

A U C T O R.



D I S S E R T A T I O

M E D I C A,

D E

A N A S A R C A.

MORBI DEFINITIO.

**C**ORPORIS intumescencia, mollis, in-  
elastica.

H I S T O R I A.

Anafarcam aqua in telam cellulofam totius corporis, vel partis cujuslibet, effusa constituit.

Tumores hydropici in artubus inferioribus, vespere potissimum, postquam crura in situ perpendiculari aliquamdiu remanserint, aut exercitatio vehemens adhibita sit, sese magis ostendunt; mane, humore magis aequaliter diffuso, minus conspicui. Cutis et tela cellulosa preffae  
A digitorum

digitorum vestigia retinent. Adfunt respiratio magis minusve impedita, appetitus plerumque prostratus, corporis torpor: Cutis arefcit, pallescit, sensu et calore naturali defecta. Musculi contractilitatem sibi propriam amittere videntur. Urina fit parca, tenuis, aquosa. Excretiones solitae ut plurimum imminuuntur. Diarrhoea nonnunquam accedit, morbumque tollit, vel aegrotum rapit. Sitis magna tussisque vexant. Vires labascunt; somnus haud reficit; coma invadit; in aliis alius arteriarum pulsus reperitur, modo celer, modo debilis et irregularis, modo praeter consuetudinem tardus. Systema nervosum torpescit. Aliquando subito, aliquando tardius accedunt tumores. Aqua ex cute et cuticula nonnunquam exsudat; posterior saepius in vesiculas elevatur, quae ruptae non parvam feri copiam effundunt, et ulcera, quae in aetate provectioribus gangraena plerumque finiuntur, progignunt. Cutis aliquando rumpitur, et gangraenam, nullis vesiculis abortis, edit. Serum copia crassamentum longe excedit. Morbus, haud ulli stadio vitae proprius, omnem aetatem sexumque infestat; caeterum habitu laxiores prae aliis occupat: Hinc foeminae, praesertim postquam menstrua sponte naturae provenire cessarunt, illi maxime patent.

patent. Quo tempore maribus vigor corporeus labascit, eo potissimum illos invadit. Hyeme crebrius quam aestate grassatur; et tumores magis tempestate humida et frigida, quam calida siccaque, augescunt. Haec quatuor autem symptomata ut plurimum adfunt, *dyspnoea, sitis, urina parca, cutisque pressurae vestigia retinens*: Horum vero postremum, Sydenhamio iudice, non semper morbum subesse testatur. ‘ Foveae, inquit, a digitorum impressione, in surarum parte inferiore, sub noctem in primis conspicuae, mane vero evanescentes, primum hujusce mali indicium dant; quod non perinde certum est hydropis signum in foeminis atque est in maribus; cum et pregnantibus, et aliae quibus catamenia quavis de causa sistuntur, haud raro idem patiantur. Neque tamen in viris ejusmodi tumor hydropem certo indicat: Etenim cum senex quispiam, habitu corporis paulo pleniori praeditus, asthmate jam a multis annis laborans, ab eodem derrepente, idque hyemis tempore, fuerit liberatus, mox ingens tumor musculos tibiaram occupabit, hydropicorum tumores aemulans, qui hyeme etiam magis quam aestate, tempestate magis pluvia quam serena, pariter invalescit; et tamen sine quovis incommodo



## 4 DE ANASARCA.

‘ modo insigniori, eundem ad libitinam usque  
‘ comitabitur, &c.’ In hanc autem illius fen-  
tentiam concedere nequeo, cum haecce phae-  
nomena hydropem plane designare compertum  
fit.

### C A U S Æ.

Sunt duo fontes primarii unde originem hy-  
drops sibi deducat, nempe, EXHALATIO ADAUC-  
TA, et ABSORPTIO IMMINUTA.

I. EXHALATIO ADAUCTA. Copiam humoris  
certam in omne corporis humani cavum perpe-  
tuo (forsitan sub forma halitus) ab arteriis exha-  
lantibus depluere exploratum habemus. Hunc  
autem a fero sanguinis oriri oportet ; et saepius  
est, cur copiam ejusdem nimis augeri putemus.  
Quo igitur malis hinc oriundis, quantum fieri  
possit, occurratur, natura provida vasis absor-  
bentibus perinde ac exhalantibus cava diversa  
instruenda curavit. Si vero exhalantia quantita-  
tem majorem profundant, quam absorbentia in  
massam sanguineam circumeuntem revehere que-  
ant,

ant, hydrops creetur necesse est. Causae autem exhalationi augendae sequentes inserviunt.

A. *Pulmonum obstructiones.* Si obstructio in pulmonibus alicujus momenti fiat, et sanguis per eosdem non amplius libere transire queat, in dextro cordis ventriculo accumulatur oportet; unde intumescencia venae cavae superioris et inferioris, sub finem cujusque inspirationis, quod quoque ex aliqua parte in statu sanissimo fit, non parva eveniet. Majorem autem ad gradum obstructionem intendi ponas, nonne effectus suos ad venas extremas usque diffundet, sanguini reduci obsistet, et exhalationem augebit? Rem ita sese habere omnes fere medentes notarunt, nullam pulmonum obstructionem diu manere, quin hydrope finiatur, uno ore fatentes. Quinetiam, quodcunque cavum cordis imminuit, vel quo minus sanguis facile ventriculos ingrediatur obstat, prout valvulae in osseam naturam abeuntes, polypi, &c. pro causa hydropis habendum.

B. *Hepatis obstructiones.* Idem hepatis, ante reliqua organa corporea, malis hujuscemodi patientis obstructiones, quod pulmonum, praestare consueverunt.

C. *Gra-*

C. *Graviditas et humorum in cavis diversis accumulatio.* His adjiciendi viscerum schirri, vel steatomata abdominis venam cavam pressura efficientia, quae tumorem hydropicum in extremis corporis inferioribus edent. Quinetiam schirri, tono partium abolendo, et cachexia progneranda, agere possunt.

D. *Obstructiones venarum,* a polypis pone valvulas natis, vel ab externis tumoribus pondere suo venas urgentibus, oriundae. Hae sanguinis ad cor reditum impediendo, et igitur exhalationem augendo, agunt.

E. *Constrictio vasorum excernentium.* Si copia cujuslibet liquoris tenuis larga ingesta sit, intra corpus, emunctoriis fere innumeris a natura praeditum, brevi mansuram esse novimus; caeterum, si excernentia, praesertim cutanea, constricta sint, quod, multa frigida, corpore simul calefacto, sumpta, vel frigore extrinsecus admoto, fit, humor per exhalantia alia exitum sibi diversum aperiet, et anasarcam concitabit, in telam cellulofam effusus.

F. *Partium corporis quarundam contusiones vel distortionones.* Hinc effusio fit, licet causam, unde priatur, satis clare explicare difficile sit; sed, rem tamen

tamen ita sese habere, exempla quaedam demonstrant. Monroius ipse exemplum hydropis a carpi distortionem ortum ducentis in medium protulit. Ruptura quoque venarum ex impetu arteriarum adaucto causis hydropis a quibusdam annumerata fuit.

*G. Plethora venosa.* Hanc plerumque faciunt quaelibet evacuationes solitae obstructae, velut menses, haemorrhoides, lac post partum repulsum, et alia sanguinea vel etiam ferosa profluvia suppressa. Si haec vero statum venarum plethoricum progenerare queant, nihil obstat, quo minus morbum quoque exfuscitent; quicquid enim sanguinis in vena cava copiam auget, motum ejus quoque minus liberum efficiet, et ita ad hydropem movendum plus minusve conferet. Solitae autem evacuationes suppressae, plethoram venosam movendo, hydropem saepe creare haudquam contendo; licet hoc praestare nonnunquam plane videantur. Sin haec theoria minus placeat, alia in locum ejus substituatur. Evacuationes hujuscemodi suppressas frequentius excipiunt corporis tabes et debilitas: Hoc in exemplo atonia evidenter invadit, quae totum per systema diffusa statum cachecticum gignat, vasaque

que in tantum relaxet, ut copiam feri nimiam effluere finant: Unde hydrops protinus accedat, oportet.

H. *Relaxatio exhalantium.* Hanc dare possunt affectus paralytici, evacuationes nimiae, praesertim sanguinis ex brachio, &c. missi, vita otiosa sedentaria, plaga humida, cibus tenuis aquosus, et morbi qui vires multum imminuunt. Hinc ratio plane petenda est, cur hydrops febribus, praesertim intermittentibus, quae diu tractae vires aegroto convulserint, tam frequenter succedat.

I. *Serum sanguinis nimis adauctum.* Hoc autem non tam saepe hydropem, quam pathologi quidam existimarunt, progignit; aliquando tamen eundem movere videtur, modumque, quo moveat, ita illustrandum esse censemus. Copia feri certa in statu sano massae sanguineae inest, et crassamento lymphaeque coagulabili, pro rata portione, respondet; duo posteriora prius invisitant, illi sese immiscent, et quo minus e vasis elabatur obstant: Serum autem, cruore et lymphae coagulabili, missione sanguinis nimis copiosa, &c. imminutis, et aqua postea largius epota, augetur, et vasa facilius egressum in cava  
cellulas-

cellulasque illabitur, morbumque procreat. Hoc Hallerus exemplo in nostrum propositum quam maxime accommodato confirmat: ‘Schulgius se cani, ad animi deliquium usque, sanguinem emisisse, et dein ventriculum ejus copia aquae ingenti subito ingesta replevisse; et omnia hydropis signa in animali sese brevi ostendisse, commemorat.’ Idem immodicae sanguinis detractiones, nullo liquore postea in ventriculum ingurgitato, vi concoctrice et potestate globulos rubros lymphamque coagulabilem reficiendi, quibus corpus sanum praeditum sit, ex toto fere deletis, praestare solent. Copiam denique feri perspiratio et urina obstructae saepius augent; licet enim, altera harum obstructa, altera vice utriusque non raro fungatur, res tamen interdum aliter sese habent. Quod ubi fit, si exhalantia viribus solitis defecta sint, hydrops exfuscitetur necesse est.

K. *Vasorum lymphaticorum et vesicularum vel saccorum ruptura.* Quod lymphatica spectat; nisi cum plura rupta sunt, liquorem effusum a reliquis sanis absorptum iri, et anasarcam exinde haudquaquam orituram esse, putamus: Quod saccos; oportet ut mole magni et numerosi sint, et venas quoque reduces aliquatenus comprimant;

B

alioquin

alioquin nullos effectus nocivos edent. Omnibus causis, quae ad exhalationem augendam, &c. conferant, leviter percursis, altera hydropis scaturigo nunc recludenda est.

## II. ABSORPTIO IMMINUTA.

Haec pro causa hydropis communi, absque aliis sibi simul adjunctis, haudquaquam habenda; eam per se tamen nonnunquam morbum movere posse fatendum: Nam obstructio aliquando vasis glandulive lymphaticis infertur, et inde hydrops concitatur. Huic autem objici potest, quod omnia lymphatica non idem per glandulas eadem iter prosequantur, et quod anastomoses inter glandulas diversas interesse queant; quod obstructionem tantam evadere, quanta hydropi citando sufficeret, non patietur. Licet vero structura lymphaticorum et decursus ita sese habeant, potestas tamen muscularis, qua lymphatica praedita sint, ab obstructionibus debilitari, et absorptio ab eadem pendens imminui, potest. Quinetiam, si paralyfis cujuslibet partis, vel debilitas musculorum, adfit, prius ad arterias majores, et dein ad absorbentia parvula, sese diffundet, et eadem humoribus in cellulas effusis absorbendis imparia reddet; unde subito et facile hydrops orietur.

Si

Si quis contractilitatem lymphaticis nullam inesse, et ea humores suos potestate mechanica, adinstar tubulorum ex vitro capillarium, &c. absorbere, contenderet; an magis a veritate deflectere viderer, si fluidum per lymphatica nullum omnino transire temerarius affirmarem? Humores vero in cellulas diversas effusos in lymphatica ad certam altitudinem, vi mechanica, quod forsitan revera fit, ascendere ponas; num eadem potestate per vasa longa et flexuosa ad venam jugularem internam usque provehi credibile videtur? Contra, ratio gravissima est, cur humores per illa, eodem modo quo massam sanguineam universam per arterias venasque majores, promoveri credamus.

## RATIO SYMPTOMATUM.

I. *Corporis intumescencia*, a sero in telam cellulosam effuso, quod eam adeo distendit, ut in tumores elevetur, originem sibi deducit.

II. *Tumores in artubus inferioribus potissimum sese ostendunt,*

a. Cum laminarum telae cellulosae intervalla undique aperta sint, et unum cavum continuum  
per



per totum corpus diffusum constituent; necesse est ut humor in quamlibet ejus partem effusus, corpore erecto, ad artus inferiores facile descendat, et ibi accumulatur.

*b.* Ob debilitatem illam insignem, quae hydropem nunquam non concomitetur, systema arteriosum facilitate solita sanguinem per venas, in quibus contra gravitatem suam fluat oportet, propellere nequit. Columna igitur sanguinis venosi nimia fit, et arteriis tantopere resistit, ut ramulicarum exhalantes humores suos copiosius effundere cogantur.

*c.* Tumores in anasarca plerumque in extremis inferioribus sese primum ostendunt; quod a conditione vasorum in hisce partibus saepius oritur. Vasa a corde maxime remota, qualibet universa debilitate substante, plurimum semper afficiuntur. Quocirca debilitas forsitan, exemplis in hydropicis, cum exhalantibus tum absorbentibus artuum inferiorum major est, quae morbum in hisce partibus citius graviusque, quam alibi, manifestat.

III. *Tumores mane minus conspicui.* Cum tela cellulosa, ut supra comprehensum, cavum unum et undique apertum constituat, haud fieri

po-

potest, quin humor hydropicus, cruribus in situm horizontalem, ut in fomno fit, simul cum reliquo corpore reductis, magis aequaliter sese diffundat.

IV. *Cutis et tela cellulosa pressurae vestigia retinent.* Ex tertio rationis symptomatum articulo, humorem, ex cellulis quibus pressura admoveatur elapsum, vicinas ingressurum esse, et vestigium digiti similisve parti affectae admoti, pressura sublata, ob tonum amissum, et aquam non protinus redeuntem, mansurum esse, donec aqua cellulas rursus impleverit, quam apertissime patet.

V. *Respiratio magis minusve impeditur.* Hoc symptomata, sub initium morbi, a debilitate totius systematis sola nonnunquam forsitan pendet, licet plerumque conditioni muscularium organorum functioni respirationis inservientium infirmatae, qua cachexia unaquaeque stipetur, potissimum attribuendum sit. Caeterum, respiratio impedita, morbo magis provento, ab aliis quoque causis, velut a tela cellulosa pulmonum, praeter naturam distensa; ab aqua, quae in cavum abdominis confluxerit, diaphragma sursum pellente; et ab aqua in thorace ipso collecta, pulmones premente,

mente, et expansionem eorundem impediēte, ortum ducere potest.

VI. *Tuffis*. Haec faepe ſymptoma cauſae eſt, velut frigoris, quod, dum debilitatem, creberrimam hydropis cauſam et originem, procreat, catarri ſimul aliquantulum infert.

- a.* Cum anafarca longe proceſſit, tuſſis ab irritatione, quam humor in cavo thoracis, vel in tela cellulosa pulmones ambiente, collectus et ſtagnans cieat, oriri potest. Caeterum, ſub ſtadiis etiam anafarcae proſectioribus, ubi cauſa non deest, cur aquam thoracem, &c. inundasse ſuſpicemur, tuſſim ab humoribus, potiffimum e ramuſculis arteriae bronchialis in veſiculas pulmonum ramosque bronchiorum depluentibus, qui cauſam irritationis non levem praebeant, proficiſci cenſemus. Hanc opinionem ſuffulcit et confirmat magna aquae ſerive copia, quam extuſſiri faepe videmus.

*b.* Quaecunque pulmonum obſtructio anafarcam pariet, ea tuſſim ſimul movebit; ita tuſſis, altera quoque ratione, cum anafarcae cauſa conjungi potest.

VII. *Cutis areſcit, calore naturali orbata*. Cutis ſicca vaſculorum extremorum conſtrictioni debetur;

debetur; defectus caloris, cum causa caloris animalis in apricum prolata fuerit, exponetur.

VIII. *Urina parca, &c.* Inter omnes fere medicos, secretiones et excretiones, si in parte systematis qualibet augeantur, in alia, pro rata portione, imminui firme consensum est; hinc aquam in cellulas subcutaneas effusam ad secretionem urinae imminuendam non parum conferre patescit. Idem quoque symptoma a pressura renibus ex compluribus causis internis supra positis, viz. utero gravido, steatomatis, &c. illata, deducitur.

IX. *Sitis.* Haec forsitan a statu ventriculi, oesophagi, et faucium peculiari, defectusve aquae in sanguine, profluit. Partes massae circumeuntis tenuiores in hydrope, vel in systema cellulosum generale, vel in magna corporis cava, effunduntur. Haec autem effusio, quanquam defectum urinae, quantum ad massam sanguinis communem attineat, copia suppleat, eundem tamen qualitate sua haudquaquam compensat. Materiae salinae, ad quas foras eliminandas renes destinati sint, hoc in exemplo, in corpore remanent. Hoc probat urina hydropicorum plerumque coloratior, et admodum salina. Hic status autem sanguinis universi salinus, ex partibus magis aquosis

quosis in cellulas vel reliqua cava effusis oriundus, causa fitis in hydrope, prout opinor, esse potest.

X. *Pulsus varius ex multis aegroti conditionibus, quas hic loci temporis angustia enumerare vetet, pendere videtur.*

XI. *Tumores in aliis gradatim, in aliis subito, accedunt.* Hujus rationem causae variae rite perpenfae reddent.

XII. *Cuticula in vesiculas elevatur, et rupta gangraena finitur.* Illud a sero ex cute vera exfudante, nec cuticulam penetrare valente; hoc ab atonia, gignitur.

XIII. *Aetate provectiores invadit.* Hoc plethorae venosae, vel atoniae systematis senibus propriae, plerumque attribuendum est. Quinetiam ratio, cur mulierculas et pueros non raro corripiat, a relaxatione nimia peti debet. Haud omnia symptomata, supra comprehensa, percurrere operae pretium foret; cum pleraque illorum vigorem et tonum systematis totius amissum pro causa agnoscant.

DIAG-

## D I A G N O S I S.

Duo tantum sunt morbi qui speciem anasarcae prae se ferunt. Horum prior POLYSARCIA est, quae ita definiatur: Corporis pinguedinosa intumescencia molesta.

Quicumque hanc definitionem rite perpendet, hoc mihi haud difficulter assentietur, polysarciam vix pro morbo habendam esse; cum plerumque a victu lautiore et desidia solis oriatur, cumque in illa sint nulla symptomatum, praeter torporem, quae anasarcam designent: Haud igitur opus est, ut de illa pluribus differam; cum quilibet, etiam imperitissimus, anasarcam ab illa, aut vice versa, quam facillime fecernere possit. Posterior est

PNEUMATOSIS, cujus definitio est; Corporis intumescencia, tensa, elastica, sub manu crepitans. Haec definitio unum morbum ab altero satis aperte distinguit: Characteres, *elastica, sub manu crepitans*, omnibus signis in anasarca sese ostendentibus ex toto contrarii sunt.

## P R O G N O S I S.

Haec a causarum notitia, symptomatum duratione, aetate, viribus, et temperamento aegroti, petenda. Si aegrotus nondum aetate fit longe provectus, nec morbi diuturnitate confectus; si vires illi non multum intemperantia morbifve praecedentibus imminutae sint; si anasarca ab evacuationibus solitis suppressis vel nimis copiosis, quae tamen vires affimilantes haud penitus abolerint, nec admodum hucusque debilitarint, promanaverit; si vasa exhalantia non relaxationem perquam magnam subierint; vel, denique, si morbus pro causa quemlibet alium, qui curationem recipere possit, agnoscat; fausta, sed caute, praefagire licet. Contra vero, si aegrotus ad senium vergat; vires illi labascant; morbus inveteraverit; polypi magna cordis vasa, steatomata venas sanguinem revehentes, coarctent; affectus pulmonum vel cordis topici adsint; hepar vel quodlibet viscerum abdominis schirris, qui jam atoniam systemati intulerint, laboret; et lymphatica rupta, vel obstructionibus in decursu suo, velut in mesenterio, magnis affecta sint;

sint; anasarca, utpote quae a causis aegre tollendis profluat, vix medicinae parebit.

RATIO MEDENDI.

Curandi duo consilia sunt, viz.

I. Humorem e vasis effusum e corpore foras eliminare.

II. Vigorem amissum systemati reddere.

Quo vero, quidnam hisce consiliis maxime respondeat, manifeste pateat; quae remedia diversa in auxilium anasarcae prompta fuisse experientia diuturna testetur, ea fusc commemoranda; quatenam, contra, utcunque ab auctoribus nonnullis concelebrata sint, parum nihilve tamen proficere consuerint, ea silentio praetermittenda curabimus.

I. Humorem e vasis effusum e corpore foras eliminare.—In hoc autem propositum accommodantur,

a. EPISPASTICA. Haec remediis contra hydropem efficacibus accensentur; et aliquando, si quibusdam fides habenda, copiam aquae ingentem e corpore foras expulerunt. Periculum tamen est, prout aliqui autumant, ne  
epi-



epispastica admota gangraena excipiat: **Hanc** quidem in partibus flaccidis pertimescendam esse confiteor. Caeterum medicos epispasticis abstinere, non ullis noxae exinde oriundae exemplis, theoria vero mera, inductos, mihi firme persuasum est; ad epispastica enim tam raro decursum fuit, ut, num incommodis ullis necne pateant, dijudicare nequeas.

Si cutem et telam cellulofam adeo humore repletam esse viderem, ut, nisi eodem vi mechanica foras protinus eliminato, metus foret ne integumenta rumperentur, ad epispastica lubens confugerem, cum ruptura spontanea promptius faciliusque gangraenam moveret.

b. Fonticuli et scarificationes.

Nonnulli fonticulos et scarificationes epispasticis anteponunt; quoniam ab illis plus aquae evacuari, et non tot incommoda inferri, credunt. Horum utrumque nego.

Quod prius spectat; licet non tantum aquae ex parte qualibet, epispastico admoto, protinus destillare videamus, stimulus tamen per systema longe lateque diffunditur, actio vasorum absorbentium augetur, et determinatio ad renes facillime promovetur; unde multo plus aquae, quam ex fonticulo simplice, vel scarificationibus  
forfitan,

forſitan, tandem effunditur. Quod ad poſterius attinet; nec ratiocinium nec experientia gangraenam ab epifpaſticis, quam a fonticulis et ſcarificationibus, certius oriri docet; nam haec utraque, fonticuli potiffimum, inflammationem facile movent: Et hinc nonne gangraena plurimum metuenda? Haud ideo fonticulos tamen et ſcarificationes ex toto repudiarem; licet enim medicamenta periculofa ſint, aliquis nihilominus uſus in illis eſt. In prioribus aperiundis, tela cellulofa inciditur, quod efficit ut plurimum aquae ex punctura ſeſe ſaepe effundat. Quod poſteriores ſpectat; nec longae nec latae ſint, prout chirurgi et medici olim monuerunt; puncturae enim parvulae votis noſtris multo melius, quam amplae, reſpondent. Applicationibus mechanicis jam breviter propoſitis, ad remedia magis certa tranſeundum eſt,

c. EMETICA. A medicamentis hoc genus, cum omni fere conſilio, in hydrope curando, reſpondere videantur, auxilium princeps petendum. Qui vomitus ſaepe morbi affecla eſt, is emetica adhibenda eſſe plane demonſtrat; caeterum, ſeu adſit ſeu abſit, curatio hydropis ab emetico leni dato, niſi ſymptomata quaedam, qualia ſunt dyſpnoea graviffima, &c. vetent, ſemper incipienda

da est. Per lene emeticum, tale volo quale vomitionem plenam, aegroto non multum concusso aut exagitato, movere queat. In hoc proposito, ante omnia alia medicamenta, pulvis ipecacuanhae accommodatur; quippe qui vomitum abunde et facile cieat, et ventriculum quibuslibet viscidis et nocivis exoneret. Cum vero secretiones corporis diversas potissimum intendere voles, hoc tartarus emeticus certius meliusque praeestabit. Ipecacuanha prius data, adhibeatur; et adeo modice, ut non vomitum, sed aliquantulum nausea tantum, moveat, fumatur. Hinc actio glandulis salivariis exfuscitur, perspiratio augetur, urina et foeces copiosius excernuntur. Inter omnes fere, emetica, praesertim irritantia, quorum tart. emet. facile princeps est, circuitum sanguineum aequabilem reddere, absorptionem lymphaticorum promovere, et obstructions systematis sanguiferi tollere, quibus nihil in hydrope optabilius, plane consensum est. Si tartarus emeticus, nausea nimia movenda, alvo plus factis liquanda, secretionibus reliquis non auctis, molestiam intolerandam aegroto faceffat, cum copia opii modica confocietur; haec enim conjuncta effectus optimos edere saepe vidi.

d. CA-

d. CATHARTICA. Haec anafarcam, nullis aliis medicamentis adhibitis, nonnunquam sustulisse ferunt. Quae hydragoga audiunt, in hoc morbo plurimum concelebrata fuerunt; sed periculum est, ne inflammationis plus minusve moveant.

Fides haud dubie illis, qui pulverem Dom. Ward, medicamentum hujuscemodi sibi, inter mendendum, feliciter cessisse testantur, debetur. Hunc Cullenus, vir jure laudandus, e *caustico lunari et nitro* conflatum esse putat. Votis medicorum nonnunquam quam certissime respondit, et hydropicos non paucos ad sanitatem reduxit.

Elaterium et gambogia, nec non jalapium cremorque tartari, frequenter in usum hodie revocantur. Item *jalapium* cum *mercurio* dulci confociatum saepius adhibetur. Hoc caeteris omnibus anteponendum esse duco; quoniam satis, et vix unquam immodice, stimulat. *Jalapium tartaro emetico* admistum quoque profecit. Sydenhamius alvum, singulis diebus, ne morbus in pejus immutet, medicamentis hoc genus drastice purgandam esse docet: Caeterum, me judice, ne vires aegroti nimis hoc modo convellantur, cavendum est.

e. DIURETICA. Remedia hujuscemodi haud dubie plurimum in hydropem possent, si satis efficacia

cacia parabilia forent. Praesidium certum et efficax scillae non praebent; sin vero morbum, quod aliquando fit, levare incipient, in spatium diuturnum continentur, quo tandem profectus illarum tempore feliciter expleatur. *Colchicum* magnam, apud quosdam, famam sibi comparavit; sed incassum tentari saepe vidi, et experimenta medicamentum iners esse evincunt. *Allium*, integrum devoratum, urinam potenter movere potest; sed copia ejus contusi, &c. idonea, utpote quae nauseam ciceret, facile ingeri nequit. *Sal* alkalinum. Copia hujusce larga assumpta secretionem urinae haud dubie multum adauget.

f. DIAPHORETICA. Huic consilio quam optime respondent antimonialia cum opio confociata. Quinetiam sudatorium vel balneum siccum a multis laudatur. ‘Evocandus est, inquit *Celsus*, ‘sudor, non per exercitationem tantum, sed etiam in arena calida, vel laconico, vel clibano, ‘similibusque aliis; maxime enim sunt utiles naturales et siccae sudationes;’ lib. 3. cap. 21.

g. FRICTIO. Haec panno sicco, vel laneo molli, peragenda est. Vetusiores pannos adhibitos oleis aromaticis inungere consueverunt, et effectus hujusce remedii bonos, si qui editi sint, frictioni soli haud dubie debitos, hisce liquoribus affig-

assignarunt. Pannos etiamnum oleo imbuere fortasse conveniet, ne aegrotus praejudicio, quod animis vulgi altius infederit, abreptus, frictionem meram nihil omnino proficere posse existimet, et igitur despectui remedium tam utile tamque praefens habeat. Insuper frictio cuticulam nonnunquam abradit, quod usus olei simplicis, ante omnia alia, praevénire solet.

h. SIALAGOGA. *Mercurius.* Auctores quaedam exempla in medium protulerunt, ubi mercurium hydropem, effluxum salivae magnopere citando, sanasse ferunt. De hoc a multis ambigitur. Si quid hujuscemodi mercurius revera praestiterit, non tantum vaforum glandularum salivariarum, sed superficiei quoque corporeae, actionem intendit; nullum enim gradum ptyalismi majorem, nisi perspiratione simul plurimum aucta, moveri posse, compertum habemus.

Cum pleraque medicamenta, quae priori curandi consilio respondeant, jam executi simus; proximum est, ut ea, quae posteriori, viz.

II. Vigori amisso systematis restituendo sint accommodatissima, quoque dicamus.

Hoc autem efficiunt,

a. REGIMEN. Summam rationis victus curam agat aegrotus, omnibus jurulentis caeterif-

D

que

que id genus cautus abstineat. Diæta illi sicca fit; potus quam maxime parcus, quique astringat, qualis est vinum rubrum Lusitanicum, quodve Anglice *Claret* appellatur.

b. CORTEX PERUVIANUS. Hujus autem portiunculæ parvæ, cum ventriculus infirmus sit, prius dandæ; dein dosis sensim augenda.

c. CHALYBEATA. Quoniam virtute corroborante pollent, haud dubie in hoc morbo conveniunt. Circuitum sanguinis augent; et igitur secretiones diversas forsan intendunt.

d. BALNEUM FRIGIDUM. Hoc, cum aegrotus propemodum restitutus est, adhibendum, et, morbo penitus debellato, in aliquantulum temporis postea continuandum. Frictio post balneum extremis inferioribus semper admoveatur.

e. EXERCITATIO. Haec, ex aliqua parte, per totum morbi decursum, adhibenda; cum vero exinde dyspnoea sæpe gravescat, prius lenis sit, dein sensim sensimque, donec aegrotus ad sanitatem ex toto perductus fuerit, acrior evadat. Quinetiam cavendum est, ne in defuetudinem, aegrotato restituto, abeat; ut enim vita sedentaria morbum sæpe movet, ita nihil tantum eundem, quantum exercitatio, arcere consuevit. De diversis ejus generibus pauca dicenda. Cum aegrotus